

Theses medicae de catalepsi ... / submittit Joh. Georgius Mangoldt.

Contributors

Mangoldt, Johann Georg, active 1672-1673.

Publication/Creation

Basileae : Apud Jacobum Werenfelsium, [1673]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fqmsg929>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

THESES MEDICÆ

De

CATALEPSI,

Quas

D. O. M. A.

JUSSU & AUTHORITY

Amplissimi & Gratosissimi

Senatus Asclepiadei,

Pro

SUMMIS IN ARTE MEDICA
HONORIBUS

ritè & legitimè
obtinendis,

*Publico & Placido Eruditorum Examine
submittit*

M. JOH. GEORGIUS MANGOLDT,
BASILEENSIS.

In Auditorio Medicorum æstivo,
horis solitis.

Die VI. Junij, Anno M D C L X X I I I.



BASILEÆ, Apud JACOBUM WERENFELSIUM.

DEO
ARCHIATRO OMNI-
POTENTI SA-
CRVM.



ΣΥΝΘΕΩ.

THESIS I.



Αταλίψις & vox ἀπὸ τῆ καταλαμβάνειν, *subitò prehendere deducitur, quod ægri in actionibus subitò prehensi teneantur: aliàs Catochen seu Vigilantem Stuporem, Latini Congelationem appellant.*

II.

Communissimè sumitur pro omni sensuum prehensione, ut est *Epilepsia, Apoplexia, Carus, &c.* In specie verò Stuporem Vigilantem significat, quo ægri prehensi sine sensu & motu eandem figuram retinent.

III.

Catalepsis, est *actionum animalium omnium læsio, quâ prehensi ægri, rigidi in eodem situ & statu corporis manent, respiratione & pulsu non multum mutatis.*

IV.

Subjectum seu pars affecta hujus mali est cerebrum, & quidem etiam posterior & inferior pars, seu principium nervorum, quod infra ostendetur.

V.

Causa hujus symptomatis est morbus intemperiei frigidæ & siccæ, dependens ab humoribus & vaporibus melancholicis, spiritus figendi vi præditis, partes cerebri constipantibus, non sola qualitate, sed etiam quantitate nervoso generi molestis; unde contingit, tum spiritus animales, tum cerebrum congelari areferique, (atque adeo nervorum tensio & rigiditas inducitur) non autem tantum refrigerari.

VI.

Hanc *antecedit* melancholicus humor in corpore abundans, sive solus, sive cum aliis mixtus, qui ad hunc affectum producendum aptissimus.

VII.

Has *in actum deducunt*, quæcunque humori melancholico idoneam generationis materiam, & motum subministrare possunt; ut sunt: *Aër* frigidus & siccus, crassus, densus, caliginosus, regio & cœli status similis. *Victus*, ususque frequens crassorum & terrenorum alimentorum; ut sunt carnes bubulæ, cervinæ, caprinæ, leporinæ, & maximè sale conditæ; idem vina crassa, rubra, nigra præstant, quæ etsi vapores de se mittant, non tamen hunc affectum producant, nisi dispositionem & vim congelandi acceperint. *Vitæ conditio* tristis, multis curis, negotiis, contemplationibus & studiis implicata, nullâ interpositâ hilaritate, aut corporis exercitio: Melancholiæ *evacuatio* suppressa, sive à naturâ sive ope medicamentorum fieri consueverit. *Vigilia* nimix: *Animi pathemata* omnia, quæ melancholiam augere possunt; ut tristitia, metus, &c.

VIII.

Fit I. vel per *Idiopathiam*, & *Protopathiam*, materiâ in cerebro generatâ; vel per *Sympathiam* & *Deuteropathiam*, humoribus aut vaporibus ab inferioribus partibus ad cerebrum delatis, quorum *Historiæ* apud Autores in re Medicâ claros videntur, 2. à causâ *externâ* aut *internâ*.

IX.

Partem affectam signa produnt sequentia. *Actiones læsæ*, tam quæ fiunt in cerebro; nil enim cognoscunt, non meminerunt ejus, quod secum actum est; quàm quæ fiunt extra cerebrum, quoad sensum & motum; obrigent enim sine motu & sine sensu, non vident oculis apertis, non audiunt etsi clamores fiant, non gustant, hinc amara offeruntur sine molestia; eandem figuram servant. *Dolor* abest, & *Excreta*: percipiendum tamen ex adstantibus, num antecesserit evacuationis consuetæ suppressio, quæ sive per hæmorrhoides, &c. sive usu medi-

camentorum fieri debuisset : per consensum totum corpus molestatur, ut patet: feces & urinæ retinentur. *Propria accidentia*, sunt symptomata ab actionibus, &c. petita.

X.

In hoc Affectu ægri derepente correpti, obrigent sine motu, dein sine sensu, non enim vident, etsi oculos habeant fixos, apertos, & licet vigilantis formam retineant, attamen mens & sensus adeo confopiantur, ut admiratione suspensos reddant ægri intuentes, ita quidem, ut nonnulli eos raptos potius existiment in nescio quod cœlum, quàm mortuos; tam validè enim tenentur, ut in eadem figurâ permaneant, in quâ, cum percellerentur, erant; nam nec oculi clauduntur, si prius aperti sunt, sed attentè rem, adstantium iudicio, intuentur; fixæ manent palpebræ, si scribit, pennam firmiter tenet, si equitat, frenum fortiterprehendit, siue stet, siue sedeat, siue bibat, siue edat, eandem figuram servat. Qui *exquisitè* laborant *Catalepsi*, planè nil audiunt, nil vident, compuncti nil sentiunt, si impellantur, pedem promovent; quocunq; ducuntur, membra manent rigida; è lecto sublatis solistant; expressam diceres larvam & arte progredientem statuam. Sin minùs, aliquando iussi linguam exporrigunt, quicquid inditur oripromptè devorant; Postea tñ. nesciunt, quid secum factum erat; aliquando tanquam ex somno experrecti obscure facta narrant: Alvi & urinæ sit suppressio propter torporem; Pulsus est mollis, parvus, languidus, æqualis; Respiratio parùm impedita, sed inæqualis.

XI.

Signa morbi manifestantur ex iisdem, ut & *causarum*, quæ etiam patent ex iis, quæ petuntur ab excrementi genere & doloris specie, & quæ humores in corpore abundantes demonstrant; ut sunt, à corporis faciei que colore & habitu, animi moribus, insomniis, excretis, functionibus, iuvantibus & lædentibus petita: item à temperamento & totius naturâ à parentibus susceptâ, nec non ætate, ambiente aëre, victus ratione, vitæ genere, exercitiis, animi pathematibus, vacuandorum suppressione, & prægressorum morborum conditione.

XII.

Distinguitur Catalepsis 1. à *Sopore vigilante seu comate vigili*, quòd hoc ortum trahat ab humore pituitoso & bilioso, quorum hic vigiliis, ille somnum inducit, magis minusve provincientis materiæ quantitate & qualitate; & non repenti invadat ægrum; *Catalepsis* verò spiritus animales, à frigido sicco velut concretos & ad actiones edendas ineptos habeat, sive sine, sive cum materiâ, ægrosque subito invadat. 2. Ab *Aplexiâ* verò, quòd in hac spiritus salvi sint, quibus tantum via præcluditur, ne ad partes fluere, & sentiendi movendiq; actiones perficere possint: hinc laxæ & resolutæ manent partes, ac corpus situm, partiumque figuram mutat. In *Catalepsi* autem spiritus affecti concreverunt, & ob id inepti ad exercendas operationes: partesque manent rigidæ, servantes figuram eandem.

XIII.

Ex dictis prænoscamus, laborare tales periculosissimè, ob actiones læsas, quare confestim medicandi sunt; nisi enim citò succurratur stupidi ac velut quodam frigore enecti, moriuntur, & etiamsi aliquantum restituantur, manent tamen semper reliquæ affectus; quando autem fit solutio ad salutem, primò ægri incipiunt movere labia, dein pedes, & sic unam partem post aliam, tum aliquid agnoscere, hinc linguam movere & loqui incipiunt. Mutari facile potest in Epilepsiam, acceptâ ad eam producendam malignitate idoneâ.

XIV.

Ægris igitur opem feremus secundum methodum, opponendo morbo contrarium: intemp. frig. & sicc. calefacientia & humectantia, &c. causam, præparatam idoneis calefac. & humect. incid. attenuantibus, auferendo, evacuando, revellendo, derivando: symptomata urgentia mitigando: vires recreando & servando.

XV.

Ad excitandum ægrum mox in usum vocentur validiora; ut objecta, clamores nempe, ligaturæ, frictiones extremorum fortes. Injiciatur clyster acris & emolliens, ex *rad. lil. alb. brion. aron. pœon. herb. salv. malv. mercurial. major. fl. camom. sambuc. anthos. beton. f. anisi, cumini, pœoniæ, bacc. lauri, &c.*
decocto

decocto addantur hiera picra logad. mel anthos. vitell. ovor. terebinth. sal. Formentur etiam suppositoria, ex hyer. picra Gal. & similib. Hic parantur balsama ex ol. destillatis, cinam. caryoph. majoran. &c. balsam. peruvianus prodest. item sternutatoria, ut ex fl. lil. convall. & cephalicis idoneis. Etiam iis qui deglutiunt, dissolvantur pilulæ, & potionis loco offerantur. His nil efficientibus, affigantur cucurbit. cum scarific. inter scapulas, & si æger sit plethoricus simul V.S. administretur in cubiti vena maximè patente. Si à *causa externa*, nimio frigore; æger mergatur, quoad pedes & manus aquâ frigidâ, ut calor nativus excitetur, dein loco calido decenter in naturalem statum ducatur. XVI.

Postquam excitatus est æger. V.S. revulsionis causâ fieri poterit, si prius non est administrata, sed parcâ quantitate, cui recens clyisma ex materiâ supra dictâ paratum præmittatur.

XVII.

Humorem peccantem *preparant*, syr. de epithymo, de fumar. stechados, bugloss. de pœonia. aq. bugloss. fumar. betonic. meliss. hinc parantur julepi pro instituto. Aut ex *rad.* angel. s. aperiēt. pœon. *herb.* major, meliss. beton. salv. rut. card. ben. epithymi. borrag. *fl.* stœch. anthos. camomill. *s.* anis. pœon. coriand. &c: cum aq. & vino coctis formantur apozemata, potiones, addito saccharo syrup. &c.

XVIII.

Præparatum *evacuant* fol. fenn. polypod. querc. agaricus, helleb. niger, quibus correctionis & directionis gratiâ addantur *s.* anisi, coriandri præp. pœoniæ, cinamomum; hinc paratur potio, aut ex Extractis Cathol. pil. indarum &c. pillul. aut bolus formetur ex electuariis & aliis purgantibus. Si *causa* sit in *ventriculo aut partibus ei vicinis*, provocetur etiam vomitus, hydræl. oxymel. simpl. rad. asari.

XIX.

Ad causam ulterius *avertendam* applicentur cucurbit. cum scarif. injiciantur clysmata superius dicta, quibus simul incoq. senna polyp. &c. excitentur fonticuli, & vesicatoria. *Discutiunt* reliquias *rad.* ireos, imperator. angel. *cort.* arant. *fol.* lauri

lauri, calaminth. orig. major. rut. menth. *sem.* 4. cal. maj. angel. citri. *Flor.* camomil. *Aromata.* Hinc parantur cataplasmata, facculi, fofus, lotiones, cucuphe, &c. & ex oleis idoneis fiunt linimenta. Si uterus aut alia pars occafionem dederit, etiam ipfi approprientur remedia, quæ obftrudiones liberant, &c. quod & fupra dicta remedia efficere poffunt.

XX.

Roborant conferv. borrag. betonic. ftæchad. *condit.* cortic. citr. rad. acori, theriaca, mithrid. è quibus add. fyrupis fiunt electuar. aut ex fupradictis & faccharo pulveres pofl pafum decenter fieri poffunt.

XXI.

Verfetur æger in *aère* cal. & humid. *Cibus* fit humedans & modicè calefaciens, facilis coctionis, boni fucci; ut funt carnes caponum, gallinarum, phafianorum, vitulinæ elixæ, additis herbis humedant, ut borrag. calef. ut majorana: panis fit benè fermentatus & cõditus f. cumini aut carui, &c. *Potus* fit vinum alb. tenue, aut hujus loco decoctum ex paffulis. f. anifi, cinnom. &c. *Exercitium* fit modicum, ut calor excitetur: ftudia intermittantur. *Somnus* fit fecundū naturam, fin minus moderate concilietur emulfionib. *Excreta* refpondeant; fi non, injiciatur clyfter. *Animi pathemata* fugiantur, moderata hilaritas foveatur, honeftis & amicis confabulationib. æger exerceatur.

A N N E X A.

- | | |
|--|---|
| 1. Sensus tactus unicus est, differt tamen ratione objectorum. | 9. Satius est tutò, quàm citò sanare. |
| 2. Omnes partes simul generantur, diverso tempore perficiuntur. | 10. Ad calculum vesica majorem extrahendum sectio unicū est remediū. |
| 3. Foetus nutritur per vasa umbilicalia. | 11. Calculum renum cum salute agri excindi posse nullatenus credo. |
| 4. Chylum immediatè ex ventriculo in mammam pervenire negamus, donec via ostendantur. | 12. Vina medicata post assumptam offulam mane assumere jubeo. |
| 5. Chylus ex alimentis peculiari vi ventriculi producitur. | 13. Clysterum applicatio commodissima est per vesicam, imprimis si fiat propriis manibus. |
| 6. Aves, cum dentibus careant, ciborum preparationem in ingluvie, partim etiam in ventriculo, ubi simul chylus elaboratur, perficiunt. | 14. In dentitione difficili modum alibi consuetū incidendi gingivas approbo. |
| 7. Basiliscum solo visu necare verisimile non est. | 15. In curâ infantum, medicamenta nutritivis propino. |
| 8. Omnes morbi sunt curabiles. | 16. Foetus vivi ex matre vivâ cum salute utriusque exsectio institui non potest. |